



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Tres modi orandi à S. P. N. suggesti.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

inculcat hæc illa, & quidem eodem die in praxin redigenda in his illis occasionibus, circumstantiis; per hæc illa media, per hujus illius passionis vitii suppressionem, & virtutis implantationem, &c. Hujus autem naturæ meditatio non convenit omni modo seu praxi, de qua modò agetur, meditationem instituendi.

§. 2<sup>us</sup>.

*Varii modi & praxer tum faciliores, tum operosiores meditationem instituendi.*

*Tres modi orandi à S. P. N. suggesti.*

**P***rima Praxis* consistit in tribus modis orandi à S. P. N. suggestis, & est accommodatior sive pro indoctis, sive pro iis, qui caput debile & fatigatum habent. *Primus Modus est:* ut, præmissâ oratione præparatoriâ, v. g. decem præcepta, opera misericordiæ, regulas, vitia capitalia, virtutes theologicas, aut alias morales, &c. percurras; examines, quo pacto hæc illa servata, violata, commissa sint. De occurrentibus memoriæ delictis defectibus te accusas, veniam preceris, & gratiam petas meliùs v. g. deinceps præcepta, regulas servandi. Dein recites unum Pater & Ave. In singulis præceptis percurrendis vult S. P. N. tantùm insumi temporis, quo ter percurri Oratio Dominica posset. *2<sup>us</sup> Modus est:* ut, præmissâ oratione præparatoriâ, v. g. sumas pro materia me-  
dita-

*Solida devotionis exercitia.* 5

orationis orationem Dominicam ; & tam diu in voce *Pater* hæreas , quàm diu circa eam tibi significatio aliqua , similitudo , spiritualis gustus , aut alia commotio divina incidit ; & eodem postea modo alias voces percurras. *3tius*  
*Modus est :* Ut inter singulas respirandi vices singula orationis Dominicæ , aut alterius v. g. Psalmi verba transmittas ; expensa interim vel significatione prolatae vocis vel personæ , ad quam oratio fit , dignitate , vel tuâ ipsius utilitate , vel rei æquitate , affectibus brevibus , congruis intermixtis.

*Applicatio quinque sensuum.*

*2da Praxis* est applicatio quinque sensuum pariter à S. P. N. edocta ; quæ in tantum à meditatione propriè tali differt ; quòd hæc sit magis intellectualis , & solidius investiget per ratiocinationem causas effecta , attributa , &c. applicatio autem sensuum non discurrat , vel saltem non ita ; & tantum inhæreat sensibilibus. Est autem valdè utilis imprimis non satis adhuc instructo ad altiora capienda , ad quæ tamen paulatim disponit & elevat. Deinde anima etiam impinguata meditationibus mysteriorum invenit passum descendendo ad illa sensibilia. Vide exemplar ejusmodi meditationis in lib. Exercit. S. P. N. Hebd. primâ exercitio 5. de inferno. Post exercitium cujuslibet sensûs miscendi sunt affectus similes iis , qui ex his illis rebus , p. r. sensus externos perceptis , oriri naturaliter